

CAPUT XV.

De Venere.

Post Mercurium sequitur Venus Planeta, qui nunquam à Sole ultra 45 gradus digreditur, neque unquam oppositionem Solis attingit; Et ut ambitu superat Mercurium, sic tardius motum periodicum absolvit, videlicet intra menses $7\frac{1}{2}$ seu diebus 224, horis 17 min. 26. Velocitate autem superat sequentes Planetas.

Inspectus oculo armato, etiam proprio lumine destitutus, opacus & instar Lunæ montosus & anfractuosus, maximè, dum cernitur corniculatus, apparet; Dum enim supra (seu ultra) Solem existit, respectu oculi nostri rotundum & lumine plenum se præbet; si infra (seu citra) Solem; Videtur particula tantum illuminata, ideoque semiplenus sive falcatus apparet; Unde etiam firmiter concludendum: (1) Quò propior nobis sit hic Planeta, eò minor videatur, quia paucioribus digitis sui corporis, à Sole lucem (respectu visus nostri) ebibit. (2) Circulum Veneris & Mercurii

non circa Terram, ac Ptolemaici statuerunt, contineri, sed circa Solem. (3) Tam Venerem quàm Mercurium, quando in conjunctionem cum Sole, & quidem accuratè in lineam oculi nostri cum Sole incurrunt, nobis esse Maculas in ipso Solis disco.

Porro eidem Veneri duos circumferri Globulos seu pilulas, scribit dictus *Fr. Fontana*, quas credit esse ejus aulicos & ministros; & quidem primâ observatione deprehendit Venerem corniculatam & magnitudinis Lunæ, naturali visu absque tubo optico, inspectæ. Secunda observatione, in medio corpore ejusdem, pilulam quandam puniceæ adumbrati coloris; Tertiâ, singulas, singulis Veneris cornibus, duas stellas ejusdem puniceæ adumbrati coloris quasi conterminatas; Quartâ, non duos, sed unicum tantum globulum in parte superiori convexa; Quintâ, globulum unum versus Veneris concavam superficiem: vide *Iconismi III. fig. 2.*

Fr. Fontana adscribit Veneri duos Comites.

Venus est corpus opacum ut Luna.

CAPUT XVI.

De Terra & Luna.

Sequentem, post Venerem, locum tenet Terra unâ cum Luna tanquam sociâ, in circulo isto quem Ptolemæus & Tycho Soli dederunt; Absolvit autem Terra cursum suum periodicum circa Solem intra annum (Tropicum scil. qui continet dies 365, horas 5, 48', 45"; Eandem Fixam autem assequitur intradies 365, horas 6, 9, 26", tempore 20', 41") Lunam secum rapiens, ita ut ipsa Terra singulis diebus circa proprium axem ab occasu in

ortum, integrum gyrum 24 horis absolvat, & in anno 365 vicibus, Luna verò duodecies circa Terram vertatur. Quo modo autem vel quâ virtute hoc fiat, & unde illa gyratio proveniat? Cur Terra circa proprium axem: Deinde simul in anno circa Solem vertatur? Cur Luna non sicut Terra circa proprium axem, sed tantummodo tanquam in epicyclo circa Terram, diebus 29 $\frac{1}{2}$, conversionem absolvat? &c. *lib. 5. dicemus.*

Terra locum habet inter Planetas.

Annus tropicus.

CAPUT XVII.

De Marte.

Terram sequitur Mars, & quidem in ampliori Sphærâ quàm Terra, ut minori quam Jupiter; gyrum suum circa Solem absolvit proximè intra duos annos, (seu anno uno Ægyptio & diebus fere 321,

& sequenti die vel nocte eandem stellam Fixam assequitur.

Quando Soli oppositus est (præcipuè Sole in signo Leonis existente, & Marte in Aquario & Piscibus commorante) nobis multò propinquior est, quàm